



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

IV. De necessitate gratiæ ad servanda præcepta naturalia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38884**



per omnia virtualiter includit observantiam omnium præceptorum naturalium, idque per longum tempus, in amore autem creaturæ nihil simile reperitur. Quare etsi homo lapsus habeat naturalem inclinationem ad Deum super omnia diligendum, ea est impedita propter appetitum sensitivum, & tentationes externas, adeoque non potest in actum reduci, sine speciali auxilio.

*Dices 3.* Potest nunc homo quod posset in pura natura, at tunc posset naturaliter Deum amare super omnia, quia haberet præceptum ita illum amandi, & tamen careret gratia. *Respondeo,* supposito quòd in statu puræ naturæ, teneretur homo Deum amare super omnia, consequenter illi daretur auxilium aliquod ordinis naturalis, per quod ejusmodi præceptum exequi posset: hoc enim planè consentaneum esset suavi dispositioni divinæ providentiæ, quæ nunquam deest in necessariis & creaturas omnes sive racionales, sive irracionales per media suis naturis proportionata, ad fines suos dirigit.

## CAPUT VI.

*De necessitate gratiæ, ad servanda præcepta naturalia.*

**R**ESOLUTIO I. *Non potest homo lapsus servare longo tempore totam legem naturalem, sine gratia.*  
**PROBATUR** 1. ex Script. Nam *Ezech. 36.* Deus promittit se facturum ( utique per auxilium gratiæ ) ut in præceptis ejus ambulemus. 2. Conciliis, & Patribus qui contra Pelagium ostendunt, totam legem divinam non posse impleri sine gratia Dei.

*Neque dicas* eos loqui de lege divina, ut etiam comprehendit præcepta supernaturalia; agunt enim de impotentia quæ competit homini in natura lapsa ad servandam totam legem, quod non potest intelligi nisi de lege naturali; cum etiam in natura integra haberet homo ex se impotentiam ad præcepta supernaturalia. Non etiam dictæ impotentia causam referunt



referunt in supernaturalitatem præceptorum, sed in fragilitatem ipsius hominis, quæ præcipue consistit in deordinatione appetitus sensitivi, illiusque proclivitate ad peccata legi naturali repugnantia.

*Probat* 3 Ratione, nam servare longo tempore omnia præcepta legis naturalis, & peccata omnia illi contraria vitare. hoc quidem est munus naturæ integræ, & quoad omnes suas potentias sanæ, quæque nullam gravem difficultatem sive internam, sive externam paritur, per quam possit à bonorum operum exercitio retardari. Cum ergo in statu naturæ lapsæ, homo sit in deterius mutatus, & ægritudinem in facultatibus suis contraxerit, sentiatque aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, eumque captivantem sub lege peccati, & aliunde variis occasionibus, & tentationibus ad malum pellatur, fieri non potest quod sine speciali auxilio, totam naturæ legem longo tempore observet.

*Dices 1.* *Deuter. 30.* dicitur, mandatum divinum non esse supra nos. Distinguo, non est supra nos auxilio divino adjuvos, concedo, tali auxilio destitutos, nego. Hinc intellige illud *Eccles. 15.* Si volueris mandata servare, conservabunt te, sensus enim est, si volueris per gratiam, quæ præsto est tibi.

*Dices 2.* Præcepta omnia legis naturalis sunt proportionata viribus liberi arbitrii, ergo possunt ab homine perfici sine gratia. Distinguo antecedens, sunt proportionata quoad ordinem, concedo, quoad eorum executionem, adhuc distinguo, nam id verum est in natura integræ, non in lapsæ, qualis est jam, propter impedimenta occurrentia.

*Dices 3.* Potest homo sine gratia servare unum, aut alterum præceptum naturale, ergo & singula, ergo & omnia; quia non simul occurrunt, sed unum post aliud. *Respondeo* à signo distributivo ad collectivum nullam esse consequentiam, ut patet, si quis colligeret hominem posse pedibus conficere centum miliaria, quia potest unum, vel alterum.



RESOLUTIO II. *Potest homo in natura lapsa, cum divino auxilio servare omnia præcepta naturalia.* ] ITA omnes Catholici contra recentiores hæreticos. *Probat*ur 1. ex Script. *Matth. 11.* Jugum enim meum suave est, & onus meum leve 1. *Joan. 5.* Mandata ejus gravia non sunt.

*Probat*ur 2. ex Conciliis, Arausicanum 2. can. ultimo statuit, omnes baptizatos Christo auxiliante posse & debere quæ ad salutem pertinent, adimplere. Et Trident. sess. 6. can. 18. Si quis, inquit dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Similia habent Patres passim.

*Probat*ur 3. Ratione, nam homo tenetur legem divinam servare, ergo potest eam implere, saltem per gratiam, cum nemo teneatur ad impossibile. Alias certè Deus transgressores suæ legis graviter plectens, injustus esset & crudelis, si ea esset observatu impossibilis.

*Dices,* non posse observari præceptum illud, Non concupisces, quia eo prohibentur ipsi motus concupiscentiæ indeliberati, & rationem prævenientes; siquidem consensus deliberatus prohibetur præcepto, Non moechaberis. Neque illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ut colligitur ex *August. lib. de Spiritu & littera, cap. 36.*

*Verum* ista facile diluuntur. Primum quidem, quia præcepto, Non concupisces, non prohibentur tanquam mali ipsi motus concupiscentiæ, cum sint merè naturales, & nullo modo voluntarii, sed ipse liber consensus internus in concupiscentiam, qui cum Dei auxilio vitari potest. Præcepto verò, Non moechaberis, prohibetur fornicatio, ut opere expleta.

*Secundum* etiam refellitur, quia Augustinus non negat Deum in hac vita posse amari super omnia appetitativè, sed tantum posse ita diligere, ut affectus continuo in eum tendat, neque ab illo tantillum deviet,

crea



creaturam aliquam inordinate amando; talis enim amor solis beatis, qui clara Dei visione perpetuo fruuntur, saltem de lege ordinaria, non autem viatoribus, competit.

*Quæres, quænam gratia requiratur, ut homo totam legem naturalem obsequare possit. Respondeo absolute loquendo, ad hoc sufficere auxilia actualia, neque requiri fidem, aut gratiam habituales, eo quod tota lex naturalis perfici potest per actus ejusdem ordinis, ad quos non requiritur fides, aut gratia sanctificans, saltem ex natura rei; neque ulla ratio est, cur nequeat homo gratia, aut fide carens, ita juvari a Deo ut totam illam legem diu observet. Ordinariè tamen diuturna legis naturæ observatio, non habet locum nisi in fidelibus, eò quod homines ex motivis fidei sumunt vires ad debellandos demones, & concupiscentias frenandas, quibus facile cedunt ii qui fide carent. Imò vix unquam contingit, hominem gratia sanctificante destitutum, etsi alioqui fide præditus sit præcepta omnia legis naturæ diu servare; quia cum jam à Deo aversus sit per peccatum in quo jacet, facile illius præcepta contemnit, & tentationibus occurrentibus consensum præbet.*

**RESOLUTIO III.** *Non potest homo in natura lapsa, vitare omnia peccata venialia longo tempore, cum auxiliis ordinariis gratiæ, ex speciali tamen privilegio potest.* PRIMA PARS probatur 1. ex Script. 1. Joan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, Jacobi. 3. In multis offendimus omnes. At hæc intelliguntur etiam de justis, qui non carent ordinariis gratiæ auxiliis.

*Probat 2. ex Conciliis Milevitanum cap. 5. dicit anathema illi qui prædicta Joannis verba sic accipienda putaverit, ut ex humilitate dicendum sit nos habere peccatum, non quia ita verè sit. Et Trident. sess. 6. can. 23. hoc statuit, si quis dixerit hominem justificatum, posse in tota vita peccata omnia etiam venia-*



venialia vitare, nisi ex speciali privilegio ( quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia ) anathema sit; similia apud Patres videri possunt.

*Probatum* 3. Ratione; nam gratia sanctificans cum ordinariis auxiliis, non sanat perfectè naturam humanam, non enim aufert rebellionem appetitus sensitivi adversus rationem, nec inclinationem naturam ad malum, nec tentationes ab extrinseco ingruentes, nec denique alias difficultates quæ in exercitio bonorum operum occurrunt; quare fieri non potest, ut cum gratia ordinaria homo ita cautè vivat, ut longo tempore caveat omnia peccata venialia.

*Secunda* pars fuit definita in Tridentino loco citato, & patet ex sensu Ecclesiæ, quæ credit B. Virginem ab omni peccato veniali per speciale privilegium fuisse immunem. Ratio autem est, quia quod non possumus ad longum tempus omnes culpas veniales fugere, hoc provenit ex infirmitate nostra; præcipue ex pugna appetitus sensitivi, qui continuo concupiscit adversus spiritum & magnam rectè agendi difficultatem nobis ingerit. At Deus gratiæ suæ efficacitate potest nos sanare, & motus concupiscentiæ perfectè cohibere, ita ut nunquam peccemus venialiter.

*Cæterum*, excepta B. Virgine, nullus sanctorum ab omni culpa veniali in hoc mundo immunis fuit, cum neque ex Scriptura, neque ex Conciliis aut Patribus talis exceptio colligi possit. Neque refert illud quod Ecclesia canit de Joanne Baptista in hymno illius, ne levi saltem maculare vitam, fame posses. Sensus enim est, cum maximo semper studio curasse, non tantum ut gravia peccata fugeret, sed etiam levissima: illius autem nativitas celebratur, non quod ab omni peccato veniali immunis fuerit, sed quia in utero materno sanctificatus, & in gratia confirmatus fuit.